

sed cessas? *PA.* minime equidem; nam hodie mihi potestas haud datast;

815 ita cursando atque ambulando totum hunc contrivi diem.

BACCHIS

Quantam obtuli adventu meo laetitiam Pamphilo hodie!
quot commodas res attuli! quot autem ademi curas!
gnatum eī restituo, qui paene harunc ipsi(u)sque opera 20
periit;

uxorem, quam numquam est ratus posthac se habiturum,
reddo;

820 qua re suspectu' sūo patri et Phidippo fuit, exsolvi:

hic adeo his rebus anulus fuit initium inveniundis.

nam memini abhinc mensis decem fere ad me nocte
prima

confugere anhelantem domum sine comite, vini plenum, 25

cū hoc anulo: extimui ilico: "mi Pamphile," inquam
"amabo,

825 quid exanimatu's obsecro? aut unde anulum istum nactu's?
dic mi." ille alias res agere se simulare. postquam id video,
nescioquid suspicari magis coepi, instare ut dicat.

homō se fatetur vī in via nescioquam compressisse, 30
dicitque sese illi anulum, dum luctat, detraxisse.

830 eum haec cognovit Myrrinā in digito modo me habente[m],
rogat unde sit: narro omnia haec: inde est cognitio facta
Philumenam compressam esse ab eo et filium inde hunc
natum.